

† P. Iosephus Leigniel (1875-1956)

(*Prov. de Buga-Quito*)

Die 29 iulii 1956 tranquille et sancte, ut semper vixerat, mortuus est Bugae P. Iosephus Leigniel, natus die 29 sept. 1875 in Quesnoy-sur-Deule, christianissima tunc Cameracensis, nunc Insulensis civitate, ex qua haud pauci, inter quos P. Desideratus Castelain, primus Provinciae Parisiensis Superior Maior, in nostram Congregationem sunt ingressi. Familia vero Leigniel, cuius undecim fuerunt filii, tres nempe viri et octo mulieres, fuit revera mirus vocationum religiosarum fons. Quatuor enim nostri Patris Leigniel sorores fuerunt religiosae Congregationis a S. Iosepho Cluniacensi, ac plerique nepotes eius diversis in Congregationibus vitam religiosam amplexi sunt.

Praecoci intellectu praeditus, iam a tertio aetatis anno usque ad septimum scholam Sororum a S. Iosepho frequentat, quo tempore apertam ad sacerdotium propensionem manifestare incepit. Deinde piaie institutricis ductu, ac latinae linguae elementa a zelanti Vicario paroeciae edoctus, primos formationis annos complevit. Undecimum vero aetatis annum agens, in celebri Collegio Marq-en-Bareul recipitur ubi nobilium filii instituebantur et in quo Desideratus Castelain ac Ioann. Bapt. Delersnyder, qui paulo post in nostram familiam cooptati sunt, ut magistri praeclare docebant. Cum Iosephus noster constanti studiositate ac pietate emineret, pater eius anno 1888 in praemium ei concessit ut tamquam peregrinus in Lourdes proficisceretur. Ibi Immaculatae Virgini, cuius semper devotissimus fuit, sese specialiter consecrans, in eius honorem rosarium quotidie recitaturum promisit. Nondum tamen vocatione nostra captus erat, etsi magnum spiritualem profectum ex spiritualibus exercitiis in Collegio a Patre Redemptorista traditis exhauserat. Potius Seminarium a S. Sulpitio ingredi cupiebat! Sed expleto studiorum in Collegio curriculo, litteras a P. Castelain, familiae Leigniel amicissimo, accepit quibus ad secessum spiritualem Dongen peragendum invitabatur, cui Iosephus accessit. Haec erat hora gratiae: ibi enim Dei vocem audivit: « Veni, sequere me » et noster confrater, relictis omnibus, anno 1893 in Stratum (Hollandia) redemptoristae suscipiebat habitum. Ita sub piissimo Magistro, P. Hyot, novitiatum incepit, in quo invenit summo cum gaudio suum Collegii magistrum P. Ioann. Bapt. Delersnyder. « Beatae Virgini Mariae precibusque matris ac parentum meorum vocationis meae debitor sum », scriptis ipse in Curriculo vitae.

Exeunte novitiatu, simul cum aliis undecim novitiis in Rempublicam Chile-nam proficiscitur ubi, professione die 8 sept. 1894 emissa, in Studiorum Domo


primum in Santiago, postea in S. Bernardum translato, studiis vacavit. Omnes qui cum F. Leigniel vitam duxerunt, eximiam eius pietatem, studiositatem, regularem observantiam, conspicuam hilaremque caritatem erga fratres una voce laudant.

Ad sacerdotii dignitatem die 22 sept. 1900 evectus, antequam ultimum studiorum curriculi annum expleverit, pectore laborans, pntisi minitante, in Galliam revertitur, ubi completo curriculo, lector in Iuvenatu Rumilliensi renuntiat. Ingravescente tamen morbo novenam in honorem B. M. Virginis incepit votumque si, B. Virgine intercedente, e morbo evaderet, indigenarum missionibus in Aequatoriana Republica sese consecrandi emisit. Qui a misericordissima Matre exauditus, valetudine iam recreata, ut votum impleret, simul cum P. Bourel a. 1902 a Superiore Provinciali in Aequatorem mittitur. Usque ad annum 1905 Domui nostrae Bolivarensi (Riobamba) adscriptus est; sed hoc tempore anticlericalis Reipublicae Praeses Patres huius domus exilio multare decrevit. Pater vero Leigniel qui cum Patribus Gossart et Dupont ruri missionibus vacat, huius certior factus, clam nostram Conchensem Domum petere valuit, ubi permansit usque ad annum 1909 quum, secundo Novitiatu ad ductum P. Maret sanctae memoriae peracto, Rector Domus Bugensis nominatur. Atque ita ponderosa Superioratus crux numeris eius imponitur quam quasi per totam vitam portare debuit.

Triennio transacto officio Visitoris (Vice-Provincialis) Vice-Provinciae tunc Pacifici Septentrionalis usque ad annum 1921 fungitur, quo anno Capitulo Generali ut Vice-Provinciae Capitularis interfuit. Praecipuum quod Pater noster hac periodo aggreditur opus, est Iuvenatus Hispalensis — cuius Rector ac Director postea fuit usque ad annum 1924 — acerbitate ipsi plena aerumnisque implicata fundatio, heroico tamen animo ad exitum perducta.

Sequentibus trienniis Rector fuit Domus Bolivarensis et Conchensis ubi etiam strenue Iunioratum aequatorianum condidit. Sed anno 1933 in Hispalensem Domum iterum revertitur ut Rector et Novitiorum Magister, ubi anno sequenti ipsi a S. Congregatione de Seminariis et Universitatibus gravissimum Visitoris Apostolici Seminariorum Reipublicae Columbianae munus « sive quoad studia, disciplinam, pietatem, oeconomicam administrationem », et speciatim Seminarii Missionum ab Exc.mo Domino Angelo Builes in Yarumal fundati, tunc vero acerbe impugnati, concreditur. Antea idem munus accepit quoad Seminaria dioecesana Reipublicae Aequatorianae. Pater noster tam accurate munus implevit ut ipsius voto et opere, Seminarium Yarumalense ad magnam Dei gloriam subsistere potuerit, ac laudes ab Em.mo Card. Bisletti, S. Congreg. de Seminariis Praefecto, ipse acceperit, « ob relationem laboriosam sane et accuratissimam de Seminariis Reipublicae Columbianae »: « Le presento, ait, l'espressione della

viva soddisfazione di questa Sacra Congregazione per la diligenza e lo zelo con cui ha assolto la sua relazione »; ac divinas benedictiones pro ipso a Domino nostro I. Ch. deprecatur « pro labore non parvo quem suscepisti ».



· P. Iosephus Leigniel († 1956)

Anno 1936 P. Leigniel Hispali Studentium Praefectus nominatur, ac postea Novitiorum Magister in Bolivarensi Domo, iterumque officium Praefecti Studentium ac Historiae ecclesiae Lectoris usque ad annum 1942 suscepit. Deinde ad novam fundationem Domus Quitensis ut Superior vocatur, ac interim anno 1944 Visitoris extraordinarii Vice-Provinciarum de Santiago et de La Paz a Rev.mo P. Murray ei committitur munus « avec la plus entière confiance dans votre prudence, charité et zèle pour le bien de la Congrégation ». Domumque etiam Limensem nomine Rev.mi Patris Generalis paterne visitare debuit.

Post tam longum Superioratus curriculum, aetate ac meritis gravis, sed defatigatus nimis, diversis in domibus, spirituali confratrum ac animarum bono vitaeque propriae interiori totus impensus resedit. Propter continua munera paucis tantum missionibus vacare potuit, verum e contra exercitiorum spiritualium ministerium, praesertim ad Clerum, magnum cum fructu exercuit. Quamobrem anno 1950 quo P. Leigniel aureum sacerdotale iubilaeum celebravit, epistulam a Rev.mo P. Buys accepit qua ipsi Rev.mus Pater hoc gratulabatur quod semper regularem observantiam firmiter ac suaviter paterne sustinisset ac apostolatam praesertim sanctificationis Cleri indefessus fovisset.

Anno 1956 in Hispalensi Novitiatus Domo cui adscriptus erat, in morbum delabitur, quo ad sepulcrum ducitur: cardiacus nempe morbus atque arteriosclerosis pulmonea. Die 13 iunii Bugensem Domum petit et ibi die 22 Extrema Unctione ac Apostolica Benedictione reffectus, adhuc animi compos quasi impercepta sed tenera voce Communitati vale supremum dicit formulaeque consueta vota religiosa renovat. Die vero 29 iunii hora tertia ante meridiem pulcherrimam suam placide Deo animam reddit.

Ploratus Pater noster in Provinciam de Buga-Quito, cuius firmissima columna fuit, beneficentissimum per totum vitae curriculum verbo et opere habuit influxum, omnium genuini Redemptoristae virtutum mirum praebens exemplar. Fraternali caritate eximius, nec verbulum quidem murmurationis in confratres aut proximum protulit umquam; sed affabiliter atque amaene cum omnibus agens, benignitas sua vultu prodiebatur, arctissima cum Deo coniunctione transfigurato. Orationis vitam, animam animae suae, et in gubernando et in docendo semper habuit, divinoque erga Iesum, Mariam, Iosephum, Alfonso et Congregationem nostram ardens amore, eundem amorem in omnibus diffundere conabatur, sicut et devotionem erga Spiritum Sanctum quam maxime ipse colebat et inculcabat. Abnegatio praesertim in magnis equo itineribus, tempore belli, cum Vice-Provincialis munere fungebatur, praeclare resplendebat: etsi eucharisticum ieiunium nimis esset protrahendum, numquam Sacrum celebrare omisit. Suique semper oblitus saepe verba Ven. P. Chevrier repetebat: « Bonus panis fieri oportet ut animae frustillatim nos manducent », et etiam verba B. V. Mariae: « Ecce ... fiat mihi secundum verbum tuum ».

Bonus miles Christi Iesu bonum certamen certavit: vir fidelis et iustus in perpetuum nunc vivit regnumque decoris et diadema speciei de manu Domini accepit.

R. I. P.